

# SOLEMNIBUS PENTECOSTES

ПРОГРАММА

In debitum Honorem

SPIRITVS SANCTI,  
TERTIAE DEITATIS PER-  
SONÆ, A PATRE ET FILIO ÆTERNUM  
PROCEDENTIS, HOSPITIS ANIMA-  
rum nostrarum desidera-  
tissimi,

Promore in ACADEMIA REGIOMONTANA recepto

Publicè propositum

ANNO M. D. C. XXXIV.



REGIOMONTI,

Typis Laurentij Segebadij.

183

295588

264044

R E C T O R & S E N A T U S  
 A C A D E M I Æ R E G I O M O N T A N Æ  
 Omnibus Reipublicæ literariæ Civibus  
 gratiam & pacem à Paracleto.

**D**odiè, dilectissimi, cœli destillaverunt à facie DEI  
 Sinai, à facie DEI Israel, & pluvia voluntaria se-  
 gregata est hereditati Christi. Spiritus enim Sanctus  
 procedens à Patre largiori munere sue Majestatis in-  
 Apostolas supervenit, & tribuit eis charismatum do-  
 na. Hisce devotissimi Abbatis Bernhardi verbis è serm. 2. in  
 festo Pentec. p. 210. edit. antverp. meritò initium hodiernæ  
 festivitatis facimus, quippe quod Rex & Propheta David hanc  
 diei hujus annuam celebritatem, hanc gratiæ cœlestis semper gratiam  
 festivitatem (ita Beda Homil. in Vigil. Pentec. hodiernum di-  
 em nominat) longèante in spiritu prævidens, ijsdem verbis  
 Psalmo 68. v. 9. 10. celebraverit. Attendat enim charitas vestra,  
 (Bedæ utimur verbis) fratres mei, qualiter huic nostræ festivita-  
 ti, legalis festitypus & figura concinat. Quæ sit agni Paschalis immo-  
 latio, quæ Ægyptia servitutis absolutio, cunctis legentibus liquet.  
 Quinquagesimo verò die post occisionem agni data lex est, descenden-  
 te Domino super montem in igne, & quinquagesimâ itaq; die post re-  
 surrectionem nostri Redemptoris, quæ est hodiè, data est gratia Spiriti  
 tus Sancti discipulis in cœnaculo constitutis, quæ apparente foris igne  
 visibiliter eorum peccata luce scientia irradiavit, ac inextinguibili  
 caritatis ardore succendit. Praeisse Dominum ait Hilarius in Psalm.  
 68. p. 527. id. Basil. iter populis sui, dum desertum transreditur in  
 columnanubis, ignisq; cognovimus & usq; ad populiterrorē de cœlis  
 stillasse manna &c. Ita verò illa, quæ legis sunt gesit, ut in his quoq;  
 ea

ea, quæ Evangeliorum sunt, præformasse sciretur. Egressus enim co-  
ram populo suo desertum transgressus est, in illud videlicet desertum  
Jordanis, in quo lilia floruerunt, in quo fons aquæ vitalis desolatos, &  
aridos irrigavit. Terra mota est, passionis & resurrectionis  
tempore, & cœli destillaverunt descendente Sancto Spiritu, in  
die Pentecostes.

Hodiè ergo, dilectissimi, cœli destillaverunt à facie DEI  
Sinai, à facie DEI Israël, & pluvia voluntaria segregata est hæ-  
reditati Christi. Largissima pluvia, Esaiæ 44. v. 2. promissa, de  
cœlis destillat, imò effunditur in Ecclesiæ gremium: destil-  
lant cœli spiritum gratiæ Ebr. 10. v. 29. Spiritum intelligentiæ  
Esa. 11. 2. Spiritum veritatis Joh. 14. 17. Spiritum virtutis, pacis  
& sobrietatis 2. Tim. 1. 7. Spiritum bonitatis Psal. 143. v. 10. Spi-  
ritum vivificationis Rom. 8. 2. O salutares aquas! O sacros cha-  
rismatum imbres! O flumina benedictionum!

Hodiè Pentecostalis columba, Spiritus Sanctus, homini-  
bus missa, illos suā virtute & gratiæ donis replevit. *Columba*,  
*animal* est (cum Chrysostomo loquimur serm. in Pentecost.  
de Spirit. Sanct. Tom. 3. col. 881. I. D. edit. Bas.) quod *præ omnibus*  
*volatilibus cœli homines amat, & contubernale ac mansuetum,*  
*innocensq; ac facundum & domesticum*, quod *versatur, quiescit &*  
*habitat in domib; nostris*: *Significat hoc animal habitationem*  
*immaculati, purissimq; Spiritus Sancti: Quem ex summo caelo cum*  
*hodiè Ecclesia suscepit, facta est & ipsa cœlum, & cœlestes homines ef-*  
*fecit, qui cœlestem spiritum intra se ferant, & hujus magnalia prædi-*  
*cent. O gratiam miraculosam! O miraculum gratosum!*

Ergo, charissimi, celebrate diem hunc quinquagesi-  
num, non ut olim Judæi in typo, sed in veritate, non in terro-  
re, sed in amore. Pentecosten celebrantes commemorate quæ olim  
sub Mose in Veteri Testamento sunt acta, & quæ sub Christo sunt fa-  
cta, post ejus ascensionem in cœlos Spiritus Sanctus visibiliter super A-  
postolos in linguis igneis apparuit, ut monet tractatus eruditus de  
operibus Christi cardinalibus, sub Cypriani nomine editus  
Basil. p. 331. Sanctitati, imprimis hoc luctuoso tempore, stude-

te; quia Sanctus est *hōspes* qui venit; Sanctus est *Dominus*, à quo  
venit; Sanctum est medium pér quod venit; Sancti sunt *homines*  
super quos venit; Sancta est *festivitas*, in qua venit. *Estate*  
*igitur sancti, quia Dominus sanctus est* Levit. 19, 2.

Sed de his & alijs fusiūs vos monebunt Ecclesiæ ministri  
in hâc Pentecostali festivitate, quos ut attentâ mente audiatis  
vos literariæ Reipubl. Cives seriò hortamur. Nos nostrò fa-

tisfacturi officio, paucis inquiremus, **Quis ille sit**  
**רוח אלהים** **Spiritus D E I**, qui fereba-  
tur super faciem aquarum ? cùjus fit

mentio Gen. 1. v. 2. Varias esse vocis רוח (quod est à רוח respi-  
ravit) seu spiritus significationes, è sacro codice constat, in quo  
1. Pro *vento* Exod. 10. v. 13. 19. 2. Sam. 22. v. 11. 2. Pro *re evani-  
da ac nihili* Job. 7. v. 7. Es. 26. v. 18. 3. Pro *plaga aliqua mundi* Je-  
rem. 49. v. 32. Dan. 8. v. 8. 4. Pro *essentia spirituali creata*, &  
quidem in specie pro *Angelis* Psal. 104. v. 4. *anima humana*,  
Zach. 12. v. 1. *spiritu malo* 1. Reg. 22. v. 21. 23. 5. Pro *Spiritu San-  
cto* Gen. 41. v. 38. Psal. 33. 6. &c. & in alijs locis aliter sumitur:  
quas significationes omnes hic recensere operæ pretium non  
est, ut discernamus, quid in capite 1. Geneseos, nomine רוח  
si spiritus intelligatur. Plures autem occurunt opinione de  
spiritu hoc, quarum quatuor *Enjedinus blasphemus ille Transyl-  
vaniae Superintendens in explicationibus locor. Vet. & Nov. Testam.  
p. 9. recenset*, & solam eam, quæ Trinitati patrocinatur, & ter-  
tiam quandam Deitatis personam hinc elicere conatur, im-  
probat & oppugnat. Nos distinctis conclusionibus rem ex-  
peditam dabimus.

Conclus. I. **Vox רוח s. spiritus in hoc  
loco nō ventum elementarem**  
cun-

eundemq; Vehementem signifi-  
cat. Hunc insana confinxit Judæorum improbitas. Nam  
licet Patrum quidam ita statuere videntur Basilius homil. 2.  
*Hexaëm.* p. 10. edit. Basili. August. tom. 3. libr. de Genesi ad liter. im-  
perf. cap. 4. p. 484. edit. Basili. non tamen hi de vento tantum,  
sed primariò de Spiritu Sancto hunc locum exponunt. Photiniani,  
Judæos secuti, hanc interpretationem commendant,  
per spiritum ventum intelligunt, qui D E I dicatur, vel quia à  
D E O immisus & excitatus; vel quia magnus & vehemens,  
quod D E I vox alicui rei addita ἀνέτιν sit, & magnitudinem  
aut vehementiam rei denotet. Enjedinus l. ante cit. Goslavius in  
refut. Keckerm. part. 1. cap. 4. p. 29. A quibus nonnulli ex Philo-  
sophis haut dissentunt. Vide Libavium de univers. & origin.  
rer. conditar. lib. 1. sect. 14. p. 63.

Jam ante ultrò concessum, in scriptura per spiritum sàpè  
ventum intelligi: in hoc verò loco id fieri falsissimum est. Id  
quod patet 1. *E aquæ significatione*, quæ hoc loco continet o-  
mnem creaturam in initio creationis productam, ut aëris ele-  
mentum tum distinctum non fuerit, nec suum occuparit lo-  
cum. Nam per aquam hic non pura ac mera aqua notatur, sed  
abyssus illa, quæ erat aquæ moles cum terra permixta: non-  
dum enim aquæ à terra erant separatae. Hinc est, quod hoc &  
præcedente versiculo mox cœlum & terra, mox terra inanis &  
vasta, mox aqua nominetur. Hoc itaq; primum adversarijs  
probandum incumbit, aliquid à D E O creatum esse ab initio  
creationis, quod non in hac aquæ massa contineatur, quod  
nunquam præstabunt. 2. *E subjecti defectu*. Ventus sine aëre  
libero nuspian est: quia ventus est motus aëris propter hal-  
itus aqueos per lucem aut calorem excitatos. Sed yp f. ex-  
pansum in medio aquarum (per quod Drusius in Comment. ad  
loc a difficultia Pentateuchic cap. 3. p. 10. alijq; docti ipsum aërem in-  
telligunt, quodq; maximè rationi consentaneum est) in quo  
fuerit

fuerit aër distinctus ac separatus à reliquis corporibus , in quo  
liberè ventus fieri potuerit , postea demum creatum fuisse  
vers. 6. docet . Nec lux erat , nec adhuc calor , sed frigida quæ-  
dam ac indisposita moles : qui itaq; calore ac luce tales halitus  
ac ventos potuissent excitari . Sed objicit *Goflavius p. 30.* Sicut  
dies sine sole esse potuit , ita & ventus sine aëre . Nos reponim⁹  
Logicorum regulam : à posse ad esse non valet consequentia .  
Præterea diversitas in exemplis est . Nos de nube ac sole mon-  
stramus expressum textum , eundem monstrant etiam Photi-  
niani de vento & aëre : Si enim ex possibiliitate argumentari li-  
ceret , quivis infinitas sibi nugas configere posset . 3. *E conve-*  
*niente creationis ordine* . Semper enim D E U S in creatione or-  
dinem servare voluit hunc , qui maximè conveniebat & expe-  
diebat . Quis verò usus , quæ convenientia , ut primo loco cre-  
aretur ventus ? Ut terra appareret & ab aqua separaretur non  
opus erat vento , aut flatu exsiccante , sicut in mari rubro & Jor-  
dane exsiccando D E U S ventum vehementissimum per to-  
tam noctem excitatè legitur , id enim postea in momento so-  
lo verbo & jussu à D E O factum fuisse vers. 9. perhibetur . Nec  
debet hoc vento vehementi tribui , cujus effectus non est mo-  
mentaneus , sed successivus . Tacemus jam absurdum ex hac  
opinione consequens , quod abyssus seipsum soverit , supra se-  
ipsum incubarit , quia tum nulla alia erat creatura , quæ non  
in illa abysso comprehensa . Sed adhæc regerit *Enjedinus p. 10.*  
infirmam esse collectionem , ventum & aërem tunc non fuisse ,  
quia Moses creationis eorum non meminit , cum multa alia  
fuerint creata , quorum expresse mentionem non facit . Ve-  
rum hæc nostra collectio non est , sed dicimus creationem aë-  
ris postea fuisse factam : proinde non potuisse tunc aërem aut  
ventum aliquid operari . Nec quod postmodum addit , ipsum  
juvare potest : Dicit enim ventum ex halibus aqueis & com-  
motione aëris gigni , hinc sequi à D E O esse creatum , quia con-  
stat , D E U M aquam & aërem creasse . Nam si ventus tum fuit  
in principijs suis tantum , nondum fuit actu , præsertim cum illa  
prin-

principia fuerint tunc confusa, necdum ad rerum generatio-  
nem apta. Et cum ipse fateatur ventum gigni ex vaporibus  
illis, agnoscit non immediatè fuisse creatum: quis autem cre-  
det, cum rude adhuc esset Chaos, sine distinctione, sine lumi-  
ne, factam fuisse aliquam ventorum generationem. Sed quid  
li homines libidine contradicendi non comminiscuntur?

Conclus. II. **Malè per רוח אלהים spiritum DEI vis, virtus & efficacia vitalis aquis à DEO indita & fecunditatis plena intelligitur.**

Hanc expositionem *Chrysostomus* amplectitur tom. I. homil. 3<sup>o</sup>  
in cap. I. Gen. colum. 13. edit. Basil. *Mibi videtur*, inquit, *hoc*  
*significare*, quod ad fuerit efficax quædam & vitalis operatio aquis, &  
non fuerit simpliciter aqua stans & immobilis: sed mobilis & vita-  
lem quandam vim habens &c. *Enjedinus loc. cit.* ait, se causam non  
videre, eur hæc interpretatio rejicienda sit, eamq; *Lamberto Danæo Phys. Christ. cap. 25.* ascribit. Sed I. Enjedino autores cita-  
ti non patrocinantur, quia vim DEI sic notari concedunt, ut  
Spiritum S. personam non negent, nec à sua illa vi separant.  
Nam Danæus duabus de causis mentionem fuisse factam Spi-  
ritus DEI ostendit, *primum* quidem, ut mundi creationem nō  
folius Patris & Filij, sed & Spiritus S. (qui καὶ τὸ πνεῦμα ab illis  
est distinetus) opus esse intelligeremus p. 101. *Secundum* ut a-  
gnosceremus, tantam illam molem, non à se, neq; ab aquis cir-  
cumfusis fuisse sustentatam, sed à spiritu omnipotente, omni-  
aq; vi suâ sustentante & vivificantे, quò etiam hodiè omnia  
subsistunt, & sustentantur, etiam quæ vim & naturam suam  
propriam sortita sunt *Psal. 104. v. 36.* & *Psal. 134. v. 7.* p. 102. Quæ  
sustentatio tantæ moli eò magis fuit necessaria, quod nondum  
ei indita esset vis ordinaria gignendi & producendi. Ideò com-  
modè

modè usus est voce מְרַחֵפֶת merachepheh , quæ non solùm sustentare, sed & fovere significat, quam voce θαλπεν Paulus Eph. 5. v. 29. expressissime videtur p. 103. Hæc Enjedinus fusius à Daneæo explicata legere debuisset. 2. Ita contra hanc opinionem concludimus : Vis illa vitalis aquis insita ad fœcunditatem vel est aliquid naturali aquæ virtuti superadditum, vel non : Si hoc, sequitur, Spiritum DEI agitare se super aquas nihil significare aliud, quam aquas fuisse agitatas & motas, vel habuisse potentiam passivam, ut assimi possent à DEO ad cuiusvis rei productionem ; quod nimis violentum est, quia Scriptura expressè distinguit ab aquis. Si illud, haud dubiè supernaturale aliquid & ab aquis distinctum fuerit, quod nihil aliud quam Spiritus Sanctus, aquis insidens, ut eam ad rerum productionem fœcundam redderet. Sic corruit Enjedini expositione. 3. Observamus, vim illam & potentem efficaciam, fœcunditatis plenam non per Spiritum indigitari, sed potius per superferebatur, seu incubabat, significari, ut è dicendis ad conclusionem quartam patebit.

### Conclus. III. רוח אלהים f. **Spiritus DEI** **elementum ignis non denotat.**

Hanc expositionem Enjedinus p. 11. è Francisco Valesio in Philosoph. Sacr. cap. 1. p. 35. adducit, prolixè prosequitur & commentat : sed frustrà. Nam 1. nuspiciam ignis in toto codice dicitur Spiritus DEI. Loca illa, quæ Enjedinus profert ex Psal. 147, 18. & Eccles. 1, 6. non de igne, sed de vento loquuntur, id quod vel inspectio eorum satis superq; probat, ut prolixa demonstratione opus non sit : præsertim cum nullum fundamentum addat Photinianus, cur rectius de igne, quam vento hæc loca intellegenda sint. 2. Nec causa dari potest, cur potius ignis dicetur DEI ignis, quam cœlum, terra, abyssus, aquæ, quia non minus sunt opera DEI magna, quam ignis. 3. Cum aëris ignis sit loco nutrimenti & pastus, sit ejus necessarium medicamentum, quod

quò commode foveatur: aërem autem postea demum creatum esse Moses v. 6. testetur: ignem ante aërem extitisse credibile non est. Et 4. certum est, quod nullum elementum extra mixtionem per se existat: hic quid extraordinarium fuisse non satis constat. Mirum est, inquit Libavius in ante cit. loc. p. 73. quemq; suis hic indulgere cogitationibus,phantasmata inferre peregrina in adyt a Spiritu Sancti, non petentem inde lucem seu ignem penetralem, sed ex suis scrinijs importantem &c.

## Conclus. IV. Propriè per DEI Spiritu intelligimus Spiritum Sanctum tertiam ordine in divinis personam. Veritatem huj<sup>o</sup> conclusionis habemus

I. Ex opere, quod huic Spiritui tribuitur. Hoc voce מִרְחַפֶת me-merachepheth exprimitur, quæ vox fovere ac foecundum reddere notat. Observant autem Ebræi, verbum hoc esse proprium avium, alas suas motitantium, dum vel pullos ad volandum provocant, vel se in aëre suspendunt prædæ in hiantes. Hinc per metaphoram in Kal ad tremorem ossium applicatur Jerem. 23, 9. Significationem conjugationis simplicis auget conjugatio Piel, significatq; facere, ut illud quod fovetur sese moveat, motu quasi primo tremat ac vivere incipiat. Veteres Græci utuntur verbo ἡωραζειν. Sic Deut. 32. v. 11. aquila super pullos suos cubare, eisq; vitam ac motum communicare dicitur. Tali igitur modo Spiritus DEI incumbans aquis, eas foecundas reddidit, quò possent postea ex ijs produci volatilia, pisces &c. quod ipsum creationis species est, quæ creaturæ attribui nequit. Vnde firmissime argumentamur: *Qui spiritus creavit, is etiam foviit aquas: at Spiritus Sanctus creavit: Ergo Spiritus DEI Sanctus etiam foviit aquas.* Major è dictis patescit. Minor manifesta est è scriptura, Psal. 33. v. 6. Job. 26. v. 13. Esa. 40. v. 12. 13.

Magisq; confirmatur ex *Esaia* cap. 63. ubi Spiritus Sanctus v. 10. dicitur Spiritus DEI , v. 14. 2. *E consensu Orthodoxorum Patrum*, tām Græcorum, quām Latinorū, hunc DEI Spiritum de Spiritu Sancto exponentium. A quo non discedit Thargum Hierosolymitanum, licet מִרְחָפָת vertat flabat ut etiam Onkelos, tamen Spiritum DEI interpretatur Spiritum miserationum. Cabalici exponunt Spiritum Messiæ, qui est Spiritus Sanctus.

Futilia sunt, quæ Enjedinus pag. 13. huic sententiæ opposit. 1. *Mosen non dicere, spiritum illum esse DEUM, sed DEP* Nulla enim est repugnantia, quin Spiritus DEI, sit etiam DEUS. Christus dicitur filius hominis : Ergone hinc sequitur, quod non sit homo. Est sanè DEUS ratione Essentiæ; est DEI Spiritus ratione processionis à Patre & Filio. Exempla quæ affert, sunt dissimilia, *cum virga dicitur esse Aaronis, quæ non est Aaron*. Nam in rebus heterogeneis verum quidem est, quod alterius esse dicitur non participare eandem substantiam, nec idem esse cum eo, cuius esse dicitur: sed in rebus homogeneis alia estratio. Sic quoq; in DEO ubi nulla divisio, sed pura simplicitas, quicquid est in DEO, DEUS est: proinde necessariò Spiritus DEI, DEUS est.

2. *Trinitarios seipso everttere, dum per Elohim in vers. 1. intelligunt tres personas: quia sequeretur spiritum esse suipius spiritum.* Sed dicimus vocem Elohim aliquando sumi essentialiter & plures personas comprehendere, ut nomen DEI; aliquando personaliter, & unam vel duas personas indicare. Sic hoc loco sumitur personaliter, pro personis spirantibus, nimirum Patre & Filio: & sic Spiritus non est suipius Spiritus.

3. *Orthodoxos affirmare, opera ad extra esse indivisa: incubatio autem illa est opus ad extra: Ergo soli Spiritui Sancto non attribuenda.* Procedit Photinianus ab inclusione unius ad exclusionem alterius; sed pessimè: quod enim affirmatur de Spiritu DEI, non negatur de reliquis personis. Nam in communitate illorum operum ad extra indivisa, observatur ordo personarum

sonarum inter se, ratione cujus nonnulla opera per appropriatiōnem & terminatiōnē uni personā solent tribui, sine praejudicio aliarum.

4. Dicitur, spiritum tantum aquas fuisse, non autem cœlum & terram, quæ prius erant creata. At qui non tantum aqua, sed & cœlum & terram indigent DEI conservatione & providentia. Ergo apparet hic non agi de universalis providentia & sustentatione DEI, quia res conservat. Quis verò non videt Enjedinum iterum argumentari ab unius inclusione, ad alterius exclusionem, & quod de aquis affirmatur, de reliquis negare. Cum Psalm. 33. v. 6. dicitur: *Verbo Domini cœlos factos fuisse & spiritu oris ejus totum exercitum eorum*: putatne hæreticus hic non agi de universalis creatione, nec verbo reliqua fuisse creata. Denique supponit ut verum cœlum & terram fuisse creata ante aquas, quibus Spiritus DEI incubabat, quod tamen falsum est, si cœlum & terram distinctè accipiat cum sua forma. Si verò intelligat creata fuisse in sua materiarudi & informi, tūm cœlum & terram sub aquarum nomine synecdochicè intelliguntur, quia moles illa ita confusa erat, ut omni ex parte aquis esset operta, nondum adhuc distinctâ terrâ ab aqua. Ergo cum Moses dicit Spiritum DEI aquis incubasse, id intelligendum est de toto illo תְּהֻ וּבָהּ tohu vavohu, de quo immediatè loquutus erat.

Sed abrumpimus, & Cives nostros serio ac paternè hor tamur, ut hanc festivitatem verâ sanctitate transfigant, sobriè, castè vivant, & Spiritum S. ardentibus votis invocent, quod ipse, ceu dulcis hospes animarum nostrarum, hospitio nostrorum pectorum delectatus, perpetuam in nobis sibi mansiōnem faciat, sapientiam & os nobis largiatur: *Sapientiam*, ut quæ ad DEI notitiam necessaria sunt cognoscamus: *Os*, ut dignè DEUM laudemus: *Sapientiam*, ut DEUM ritè diligamus: *Os*, ut eum convenienter invocemus: regat nos, ut ad istum finem toto amore tendamus, in quo sine fine lætabi mur. Faxithoc Doctor noster Cœlicus, faxit consolator no-

ster unicus, faxit Sanctus DEI Spiritus, ut hic illum incipiamus  
e cognoscere, incipiamus laudare: illuc verò à facie ad faciem vi-  
deamus, visum puro corde diligamus, dilectum dignè cele-  
bremus, & in visione illa beata, in amore illo divino, in  
laude illa cœlica æternum beati simus.

Amen, Amen.

IN SOLEMNITATEM PEN-  
TECOSTES, ET SACRAS SPIRITUI  
SANCTO FERIAS.

**X**celsi redeunt tempora SPIRITVS,  
Qui vasta simul est conditor orbis  
Rerum, floricomas & regit arbiter  
Æquus iure plagas, quas oriens suo  
Vel Sol occidens lumine conspicit.  
Cum tanto nova sit lux sacra Numinis,  
Omnes hanc animis suspicimus novis,  
Ac fibris pavidi prendimus intimis  
Vocem, qua TRIADOS iussa patefacit.  
Humanum sacer hic SPIRITVS instruit  
Cœtum, cana serens gutture dogmata,  
Et linguas aperit gentibus extimis  
In campis, subiò quas oriens Babel,  
Ac turris calidis miscuerat viris.  
Depellit tenebras mentibus insitas,  
Et compressa gelu pectora suavibus  
Fomentis reficit, cen parvides suis

Christus

Christus discipulis ante retexerat.  
Cunctis ergo patet semita, qua poli  
Ad convexa gradus fidere regit.  
Mendacis nihil guttura veritas  
Impugnata facit, cum nivis in modum  
Tacta, Thoebe, ruis diffuat ignibus  
Spes fusata dolis, oraq; callida  
Veri simplicitas & pudor obruat.  
Hoc sensere bonis seduli in artibus,  
Quos gens ambiguis improba vocibus  
Ajusto haud potuit flectere tramue.  
Id Sancto referet SPIRITU unice  
Acceptum varijs pressa periculis  
Mens, verbum Domini cui jubar aureum,  
Ac vita in medijs anchora fluctibus.  
Idolis etiam concio degener  
Cultus attribuit, dogmaq; Numinis  
Æterni: dubijs ac ciò casibus  
Divexata malum repperit exitum.  
Mytilis fara suis destinat asperæ  
Baal, dum pluvias mittere cœlitus  
Nesci quotidianè pinguis ab hostijs.  
Dagon imperio pectora subditæ  
Plebis continuat, laudibus illius  
Decantata fuit celsa potentia.  
At cur truncus adest, nec pede, nec manu  
Spectans, speciem nec referens DEI?  
In promptu ratio est, defuit halitus

Oris, nullus odor naribus attulit,  
Vires de niveis floribus excitas.  
Auditum sonitus nullus ab aëre  
Percussit: monitis ergo nec iniuria  
Confirmare valet pectora subdolus  
Conatus, Stygia ductus originis.  
Hinc, qui corda gerit vulnere saucia  
Admissi vitij, cum fremitu ruit  
Ad sedes tenebris pluribus horridas,  
Immensisq; dicatas cruciatibus.  
Traductos veluti nunc gemit helluo  
Soles, ac Pharaon serius experit  
Expulso populos ad loca conscientia  
Res transferre suas, & requie frui.  
Illustrare libet singula proximis  
Pictura tenuis dicta coloribus.  
,, Arcem sidereum SPIRITVS incolens  
,, Cœpit de nihilo promere condita:  
,, Idoli facies est opus improba  
,, Dextra, lethiferum Terrigenis malum.  
,, Procedens supero SPIRITVS a Patre  
,, Et Gnato, vegetus robora jaicitat:  
,, Vita nullus inest corporeis vigor,  
,, Factis præcipiti pollice, fabricis.  
,, Ex cunctis redimit Fornax periculis,  
,, FLAMEN forna sacrum, Terrigenum salutis.  
,, Motu saxa carens, lignaque torrida,  
,, Nec quenquam medijs eripiunt malis.

O trunci

O trunci solidi, saxaque frigida,  
Qui vanis colitis plasmata cultibus!  
Æterno tribuas gens pia FLAMINI  
Cultum, quem voluit Rector Olympicus,  
Augustus tonies quem repetit sacra  
Majestatis honos, divaque gloria.  
Hic magni validus SPIRITVS est DEI,  
Doctor lativagos inter homunculos,  
Oris qui gladio dissecat obvios  
Nodos, quos Erebi factio preparat.  
Huic cum Patre DEO, cum Patris unicâ  
Et Prole intrepidâ mente sacrabimus  
De nostro varias pectore victimas,  
Quò crebris resonent secula laudibus.

M. CHRISTOPHORUS EILARDUS;  
P. P.

